

BOTANISCHES INSTITUT
der k.k. Universität.

J. N°

B

C 87/26

S E R T A T I O I N A V G U R A L I S
DE
M E D I C A M E N T I S A D V L T E R A T I S
S I M P L I C I B V S

QVAM

P R A E S I D E

D. G E O R G I O R V D O L P H O
B O E H M E R O

THERAP. PROF. P. O. ACAD. SENIORE PHYS. PROVINC.
SOC. LIPS. OECON. SODAL.

P R O S V M M I S

I N V T R A Q V E M E D I C I N A H O N O R I B V S R I T E
O B T I N E N D I S


D I E V . M E N S . A P R I L . A . R . S . M D C C C I I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E D E F E N D E T

C A R O L V S G V I L I E L M V S S T A V S S
S V I N I C E N S I S - S A X O
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S .

V I T E B E R G A E
L I T E R I S T Z S C H I E D R I C H I I .



P A T R I O P T I M O

S V M M A P I E T A T E C O L E N D O,

A T Q V E

IOANNI CHRISTOPHILo ATENSTÄDT,

C O N S V L I C E L E B E R R I M O A C P H A R M A C O P O E O D E X T E R -

R I M O A R V D O S S I T I E N S E S

S A C R V M E S S E V O L V I.

ОДИНОЧНЫЕ

ACCESSION NUMBER

JOANNI CHRISTIANO ALTENAU'D'

COMUNE DI CAVOUR - DITTO COMUNE DI CAVOUR - DITTO COMUNE DI CAVOUR

卷之三十一

Индия Гаага Индия

Recensuit nuper, in Diss. Praeside Excell. BOEHMERO habita, G. F. WACH, Medicamenta simplicia, ex Regno vegetabili desumpta, quae non semper genuina in officinis pharmaceuticis asservantur, sed potius cum aliis confunduntur et sibi inuicem substituuntur. Non autem hoc tantummodo fraudem committunt Pharmacopoei atque expectationem Medici de sperato effectu eludunt; sed etiam vel ipsimet, vel alii, qui medicamenta ipsis vendunt, praesertim ex avaritia, eadem diuersis modis adulterare propriamque mixtionem atque virtutem immutare atque imminuere solent. Et hoc quidem sit aequa in simplicibus ac praeparatis. Horum autem disquisitio eo magis necessaria videtur, quia genuinum atque proprium cum alieno ita artificiose sit mixtum, ut fraudem difficile detegere possimus. Cum vero et in simplicibus, et praeparatis admodum multa adulterii commissi inueniantur exempla, nunc ea tantummodo adducere volui, quae ad simplicia pertinent; alia fortassis occasione etiam de praeparatis dicturus.

Aloë. Viliorem, caballinam dictam, Indos purgare a fordinibus ita, vt a Succotrina vix experientissimus distinguere valeat, retulit HERMANNVS Mat. med. p. 285. atque MESVE de Simplicibus cap. I. scribit: Sophistae lauant ipsam lotione, qua partes eius immundae et crassae separantur, dein lauant in aqua maris et pauci Croci lotionibus pluribus et permittrunt exsiccati, acquirentes ei per hoc luciditatem et colorem citrinum, et odorem bonum; verum odor eius deoccultat fallaciam. In Belgio Succo Liquiritiae et Gummi arabico, immo Colophonio deprauari refert DOERFFVRT *neues deutsches Apothekerbuch*, Part. I. p. 12.

Alumen romanum etiamsi rubicundo e. g. Terrae sigillatae pulvere asperso, hunc colorem assumferit, pro genuino haberi potest; solutione enim et filtratione puluis facile separabitur; illud autem Brunus suigae a GRAVENHORSTIO paratum accepit colorem ab admixto Cobalto,

ideoque medico usui minime inseruit. HAGEN *Apothekerbuch*, edit.
Vta, pag. 270.

De *Ambra* iam notauit BENANCIVS libro de Fraudibus a Pharm. commissis pag. 86 illam mangonio adulterari cum paucō Agallocho, Storace et Laudano, admiscenda exili quantitate verae Ambrae dissolutae in aqua Rosarum et simul monuit, fraudem facile detegi posse, manibus fricata Ambra, nam instar Cerae mollescit. Criterium hoc quoque SYLVIVS in Meth. med. componendi pag. 277 adduxit. Genuina in puluerem comminuta natat in aqua frigida et solutur in aqua calida, MACQUERV in chym. Wörterbuche, I. 295. In Spiritu vini parum, plus longe in Aethere soluitur et Laminæ ferreæ calenti imposita tota auolat propriumque odorem excitat. Atque his notis omnia mangonia, non solum cum Pice, Resina et Cera, sed et Storace et Benzoin facta deteguntur. Cum farina furfurum Oryzae parata Vermibus facile arroditur. SANDE et HANNEMANN über die Güte und Verf. der Arzneyen, pag. 217.

Antimonium venale saepe Magnesiam et Ferrum admixtum continet, id quod cognoscitur, si puluerisatum cum tribus partibus Nitre puri commiscetur et ignito Crucibulo immittiatur, detonatione enim facta residuum vel luteo, vel viridi colore tinctum est, in priori casu Ferrum, in posteriori Magnesiam continet; purum si est, albidam relinquit massam. HERMBST. *Experimentalpharm.* I. p. 30.

Affa foetida Resina vulgari alba cum succo Allii trita et exsiccata adulterari ex aliorum relatione notauit HAGEN pag. 249 simulque monuit fragilitate et perfecta in Spir. vini solutione hanc miscelari detegi posse.

Affam dulcem etiam arte parari, asserit ARNEMANN *Arzneymittel-lehre*, I. pag. 184.

Balsamus. De Opobalsamo, qui et dici solet Balsamus de Mecca iam suo tempore scripsit SYLVIVS libr. cit. pag. 279 tam varie adulterant et astute, ut eius adulteria etiam exercitatissimos fallant; verum liquor in vestem laueam fatus maculam non facit et post lotionem notam non relinquit, cum vitiatus inhaereat. Addendae autem sunt aliae notae, quibus rarissimus et praesantissimus Balsamus genuinus agnoscitur

VOGEL in Progr. de verioribus Balsami mexicanii notis, Goett. 763 deceim adduxit, quas omnes autem insufficienes, vnicam modo certam esse, asseruit, scilicet: Aestimatur praecipue ille, cuius guttula aquae frigidae immissa in huius superficie illico se dispergit et pelluculam albicantem, vesiculis expertem format, quae instrumento quadam acuto immisso tota auferri possit, aqua perfectam pelluciditatem seruante. At et hoc experimentum non semper, in primis, si vetustus est, succedit, tunc enim in aqua fundum petit, hinc adhuc alio modo disquirendus, atque guttula, aquae frigidae immissa, si genuinus est, sub vndulato motu se dispergere debet. Conf. MVRAY Del. Medic. IV. pag. 39 sq. Qui etiam ex aliis scriptis adducit, lucris causa vario additamento vitiari, Terebinthina cypria, Oleo Sesami, pinguedine Struthionis, Oleo Citri, immo liquidum fere simile, ex disruptis vesiculis Corticis Pini Balsameae desumptum, in Anglia venditur. Pinguedines in Aethere non soluuntur, reliqua odore cognoscuntur. Optimus in Spir. vini alcoh. totus debet solui. HERMBST. I. p. 118.

Balsamus Copaiva. Experimentum, cui multi nimium tribuunt, descripsit MVRAY IV. p. 49 hoc est: si gutta in aquam decidens variat pro lapsu distantia, etenim sub maiori altitudine fundum aquae petit Balsamus, sub minori superficie aquae subtus adhaeret, vel supra eandem se sensim dispergit. Hunc quoque cuticulam in aqua efficere, scribit SANDE p. 139. In Aethere et Spir. vini tartar. facile soluitur, ab oleis admixtis turbidus evadit et quasi lacteus. SCHLEGEL Apothekerbuch, pag. 297. In Pharmacopoliis prostat etiam Balsamus albidus minus limpidus, Mellis spissitudine et ingrato Terebinthinae odore, qui adulteratus censetur, prout et ille, qui Ol. Amygdal. dulc. vel Terebinthinae admixtam habet. Optimus, auctore HERMBSTAEDTIO, Vol. I. pag. 118 erit ille, qui ope Tinct. Tartari in limpidum fluidum commutatur.

B. Peruvianus, duplex, albus et niger distinguitur. Albus rarius in officinis prostat; niger autem non semper genuinus est. Huius guttula in aquam frigidam immissa fundum petit, in aqua calida autem in duas partes secedit, quarum una et maior in fundum quoque

descendit, altera subtilior per superficiem se dispergit. Spir. vini non perfecte, totus in oleis aethereis soluitur. SCHLEGEL pag. 298. Contrarium legimus in HERMBST. Vol. I. p. 119, assent Ille nempe, in Spir. vini alcoh. totum eundem, minime autem in Ol. aethereis et pinguis solui. Adulteratur quoque cum Oleo terebinthinae, quod cognoscitur, si carbonibus ignitis applicatur. Olea destillata, vel alia Balsama liquida admixta deteguntur, si olea destillata, vel expressa addantur, his enim non perfecte admisceri solet. Mangonium in primis turpe hoc est: Lign. Santal. rubri ½ vnc. coquatur in Oleo oliv. 1½ lb. add. Cerae citrinae 1 vnc. Tereb. ven. 1½ lb. et Balsami Peruv. nigr. 1 vnc. Odore, sapore et antea adductis experimentis fraus detectur. Vid. SANDE pag. 144, HAGEN p. 319 sqq. et DOERFFVRT pag. 46.

Bezoar orientale. Cum in Europa longe viliori vendatur pretio, quam in India, illud vario modo arte parari, satis est probabile. Genuinum supra chartam, Cerussa coaspersam, tritum maculam ex luteo viridem relinquere, notat HAGEN pag. 87, qui etiam monuit, Bezoar siue Lapidem de Goa semper arte confectum esse, et constare ex terra, cum Moscho et Ambra mixta, et Gummi Tragacanthea in cohaerentem massam redacta, eademque polita et foliolis Auri obducta.

Borax. Cuius sapor primo subdulcis, dein amarus et quasi alkalinus est, misceatur saepe cum Alumine, quod partim ex sapore adstringente acidulo, partim ex eo, quod coerules plantarum succos non in viridem, sed rubicundum colorem mutet, BUCHOLZ *Taschenbuch*, pag. 18; certius autem ex praecipitata terra aluminosa cognoscitur, si solutioni Boracis Ol. tart. per del. additur. Adulteratur quoque cum Sale fossili, quod etiam sapore salis culinaris, crepitura in igne, et odore quasi croceo detectur, qui se exserit, dum solutioni Ol. vitrioli admiscetur. SANDE p. 271.

Camphoram adulterari spermate Ceti refert LIPHART über verschiedene kostbare Arzneymittel, Witt. 1800.

Cancrorum Lrides arte saepe imitantur. Ex Creta et Tragacantha parati ponderosi sunt, linguae adhaerent, et mediante aqua in pul-

pulten conuertuntur; ex Terra argillacea facti iisdem modis cognoscuntur, praeterea cum acidis non effervescent. Quocunque autem modo praeparentur, nunquam laminos illos concentricas ostendunt, quales in naturalibus obseruamus. SANDE p. 208. Conf. Eph. Nat. Cur. Dec. III. an. 3. obs. 147. Cancr. Lapidés ex argilla vel Creta parati in aqua soluuntur et in debiliō Spir. nitri non relinquunt illam pellucidam gelatinosam cuticulam, qualem in genuinis obseruamus, monuit tamen DOERFFVRT p. 585 in lapidibus, diu sub putrescentibus Cancris detentis illam quoque cuticulam destrui, et hinc signum esse incertum; Laminae concentricae certius praebent. Conchae etiam praeparatae Ocul. cancer. pptis substituuntur; sunt autem hī specifice graviores et facile et perfecte in aqua, Conchae difficilius soluuntur. *Geschichte eines Apothekers*, pag. 22. Testae ouorum quoque eorum loco venduntur puluerisatae. GRVNER *Almanach* 1787. pag. 64.

Cassiae et Tamarindorum Pulpæ. Vtiusque mangonium iam notauit LODETTVS et de Tamarindis scripsit Idem apud BENNANCIVM pag. 115: componunt plerumque ex massa, facta ex veteri *Cassia euana*, *Dactylis corruptis* et aliis quisquiliis incognitis, in quibus etiam varia nocentia inuenies, quibus manifeste fraudes deteguntur, ne vero patescant, salis magnam copiam addunt. Etsi etiam hoc tempore eiusmodi miscela forte nullibi inuenitur, notandum tamen, pulpam quandoque in Cupreō vase paratam et aerugine imprægnatam esse, vt testantur BEAUME, BERGIVS, SHERF, aliisque. Vid. BALDINGERI *Neu Magazin*, Vol. VII. pag 1. Eiusmodi Cupro diuitem pulpam se nunquam inuenisse, notauit HAGEN I. p. 175. Ferrum politum, per aliquot dies in eiusmodi pulpa contentum, rubrum Cupri colorem in superficie ostendit et sic fraus detegitur. Vid. DOERFFVRT *Neues deutsches Apothekerbuch*, Part. I. pag. 944. Adulteratur etiam nunc cum Syrupo vulgari et Aceto, nunc cum Roob Prunorum; prius ex acriori et ingrato, posterius ex empyreumatico cum dulci mixto sapore innotescit. Vid. SCHAVL. *Abhandl. von der Güte der Arzneyen*, p. 79.

Castoreum. Huius variae distinguuntur species; Russicum præstantius, Anglicum vilius censetur; attamen ex Prussia et Polonia quoque omni ex parte perfectum adducitur. Anglicum plerumque est

factitium et ex testiculis Equorum exsiccatis constat. Sumuntur quoque Testiculi Caprarum et Ovium, et replentur nunc cum puluere Castorei, G. Ammon. Sagap. et Galban., nunc Pice, sanguine hircino, Melle et aliis materiis. Mangenia haec facile deteguntur odore peregrino et absentia membranarum, quae interne in veris folliculis inueniuntur. SANDE p. 205. In folliculis etiam pro augmento ponderis plumbum quandoque reperitur. Puluis quoque non semper est genuinus. In *Pharmaceut. Handbuche*, Vol. I. p. 41 legimus: Pharmacopoeum quemdam ex Castoreo praeparasse essentiam atque residuum exsiccatum loco pulueris venditasse drachm. 1, pro 16 Mgr. Haec luci cupiditas forte et in nonnullis aliis officinis locum habebit. Cfr. LINKII Diss. de Castore et Moscho, 1786. ed. p. 23.

Cera lutea. Misceri solet cum puluere subtilissimo Lentium, vel etiam cum sulphure, quod se manifestabit odore, dum cera funditur, Lentium autem puluis adstringenti sapore cognoscitur. Resina alba admixta detegitur Spir. vini, qui eandem extrahit et soluit. Sevum admixtum illam molliorem minusque friabilem reddit.

Chinæ Cortex. De diuersis speciebus copiose egit simulque officinalis bonitates commemoravit DOERFFVRT pag. 188. Notemus ex his, corticem hunc, secundum Smithium, proprium odorem non possidere, sed acquisitum esse et dependere partim a Lichenibus superficie affixis, partim, quia non sufficienter exsiccatus receptaculis inclusus fuit. Cortex etiam constitutius partibus extracto praeparato priuatus quandoque venditur, idque cognoscitur, si eiusmodi corticis decoctum non saturate bruno colore tinctum est, et in frigido statu non, vt in genuino cortice videmus, turbidum, sed pellucidum apparet. Dum Cortex contunditur, admisceri solent Amygdalæ dulces, quo artificio quidem puluis subtilissimus conservatur, qui alias magna copia auolat; attamen pondus augetur et virtus roborans imminuitur; eiusmodi puluis esse solet magis compactus et cohaerens. De China rubra factitia legatur DOERFFVRT p. 205. et de lutea WESTRING in der Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingus, Vol. 21. et ex his Görting. gel. Anz. 1801. Part. 109. p. 1085.

Chinæ radix. Radices omnes vermibus exesae reiiciendae sunt. De hac scripsit PANCROLLVS de Reb. deperd. L. II. p. 51. Radix ista vix unquam viribus integris, sed fere semper emarcida et cariosa ad nos aduehitur; et ex centum radicibus vix quatuor bonas reperiri, asserit FALLOPIVS in Oper. p. 816, cum ea sit Mercatorum versutia, ut ad occultandam cariem et teredinem eandem frequenter vulgari bolo armena inuoluant. Pessima fraude vermium vestigia lithargyrio repleri, legimus in SCHLEGELII Apoth. p. 80.

Cinnabaris cum aliis variis miscetur, vt Arsenico, Minio, lateriali puluere, Santalo rubro, Pulv. Lycopodii, Sangv. Draconis, Bolo rubra et s. p. Vid. GMILINI Techn. Chymie, Tom. I. p. 301. Genuina in puluerem redacta, candardi ferro applicata flammatum coeruleam et odorem sulphureum excitat et tota auolat; si sangv. Drac. admixtus loco sulphurei oritur balsamicus resinosus odor, si igni applicatur; adulteratur quoque cum sic dicto *Englisch Roth*, si eiusmodi igni subiicitur, remanet materia nigrans, styptico vitrioli odore praedita. Geschichte eines Apoth. p. 51. Arsenici et Minii miscela maxime fugienda, hinc eiusmodi Cinnabaris illis exploranda modis, quos hinc inde adduximus. Conf. quoque WEBERI Magaz. Vol. I. pag. 50. et SANDE p. 241 Cinnab. nativam quoque aliquando cum Sulphure et Arsenico mineralisatam, hinc pro vsu interno Cinn. Antim. adhibendum esse, monuit HAGEN II. ed. 2. 486.

Cinnamomi Cortex, eiusque inprimis puluis frequenter a Mercatoribus miscetur cum Cortice Lauri Cassiae et sic dictis floribus Cassiae; ita et Caryophyllorum puluis cum puluere Cassiae Caryophyl-latae; non nisi debiliori sapore frans detegitur. Conf. DOERFFVRT pag. 216.

Crocus adulteratur variis modis, Verus charactere botanico, scilicet corolla tubulosa quinquesida, facilius styllo, tribus stigmatibus terminato, distinguitur. SANDE scripsit p. 86: das weifliche Ende der Staubwege dienet zum sichersten Kennzeichen gegen die Blumenblätter des Saftors. Idem repetit DOERFFVRT p. 254 an recte? SVCKOW Ockon. Botanik. p. 377 confundit stigmata cum antheris; sic quoque SESTI Briefe über Sicilien, Tom. II. p. 96 Carthami et Scolymi Hisp., cum

quo etiam adulteratur Crocus, antheras pro corolla nominavit. Additur Croco saepe oleum expressum, non tam conseruationis, quam lucri causa, inde enim pondus augetur. Immiscentur quoque fibrae carneae bubulae coctae, quod in Gallia olim maxime visitatum fuit, carentibus prunis infectus foetidum excitat odorem. Viliorem Crocum cum Sale tartari, Orleano et Vitello ouor. cocto miscevi, legimus in *Pharmaceut. Handbuche*, Vol. I. p. 54. Plerumque adduntur Carthami tinctorii, quandoque etiam Calendulae flosculi. Crocus etiam, tingente sua materia maxima parte orbatus et exsiccatus pro genuino venditur. Conf. MVRAY IV. p. 228. Addamus ea, quae PLINIVS Libr. XXI. c. 6 de Croco proposuit: *Adulteratur nihil aequum. Probatio sinceri, si imposita manu crepat, veluti fragile, humidum enim, quod cuenit adulteratione, cedit: altera probatio: si manu prolatâ ad ora leniter faciem oculosque mordeat.*

Ferrum. Limatura huius saepe cum Cupro mixta venditur. Hoc in casu Magnetis attractio fallax admodum erit, etenim cum Ferri particulis adhaerentes Cupri partes ab eadem simul attrahuntur. Vid. HAGEN II. 16. Cuprum admixtum esse, aliis quoque modis cognoscere possumus. Vid. SANDE p. 264. Facillimus hic erit: Limatura misceatur cum Spir. Salis Ammon., vnde color coeruleus oritur, si Cuprum adest.

Gallae infecto, Cynips quercus dicto, non solum domicilium praebent, sed etiam nutrimentum et consumpta tandem materia nutritia easdem perforat atque auolat; hinc colligenda sunt antequam extum sibi parant Vermes tuncque sunt densae, plenae, ponderosae, magisque tinctae, illae autem, quae foramen ostendunt, cauae, leues atque pallidae, virtute deslitutae, nihilominus venduntur, variisque modis foramina obturantur, immo solutione martis obscuriori colore tinguntur.

Gummata sic dicta, Ammon. Elemi, Galbanum, solutione quidem depurantur, ast etiam magnam virtutis partem amittunt. Seleclus glebarum potius debet institui et quae perfectiores videntur a minus perfectis, aliisque admixtis materiis separari. Ita G. Ammon. ex puris albidis vel luteolis glebis compositum, censetur optimum. Gal-

banum in granis praefertur illi, quod in massis exhibetur. Galbano admixta saepe sunt viliora Gummata. Datur species, Galbanum quoque dicta, rubicunda, ex Sicilia allata, quae vero debiliorem longe odorem habet. SCHLEGEL et WIEGLEB pag. 279. Eleni fragmenta saepe corticis et ligni admixta habet. Arte imitatur ex resina flava cum Ol. Spicae et Terebinthinae mixtum, quod cognoscitur odore Terebinth., quem in calore spargit. MURRAY IV. 30. G. Anime cum Copal remixtum Spir. vini detegitur, in quo hoc non soluitur. HAGEN pag. 356.

Helminthochorton. Conferuae huic saepe conchylia minima, arena, aliaque peregrina sunt admixta, quae facile deteguntur, si ligneo malleo contunditur. Si cum acidis efferuescit, conchylis, Licheni castaneo etiam, et musco corallino adulteratur. De quibus fraudibus conf. DOERFFVRT pag. 384 et TROMSDORFII *Journal*, Tom. VIII. Part. I. no. 15.

Mamam variis modis suo tempore adulteratam fuisse, iam monuit LODETTVS pag. 116 et nunc etiam immixto saccharo farinaceo, vel Amylo, vel Melle corrupti, notavit NEVMANNVS. Vid. *Chemie*, Vol. II. Part. III. p. 287. Etiam cum his dulcibus Sennae folliculos, vel Se ammonium commisceri, IO. BAVHINVS Histor. Plant. Tom. I. Part. II. pag. 187 et GEOFFROY Mat. med. Vol. III. notarunt. Vid. quoque SANDE p. 192. SCHAVB. p. 59 sq. Mannae quoque coctionem praeposteram et virtutem eius corrupteinem, in officinis saepe usitalem, graviter notauit HOFFMANNVS in Diss. de Manna, pag. 32. Conf. DOERFFVRT p. 616 sq.

Mel adulteratur Amylo, farina Fabarum, immo arena; haec vero admixta, addita aqua frigida, praecipitantur. Forte etiam puluerem Tragacanthae vel glutinis vulgaris admisceri, coniectaram proposuit DOERFFVRT p. 625.

Mercurius vivus vitiatur variis modis atque ineptus, immo nocivus redditur medicatis usibus. Saepe in mortario ferreo, superinfuso Oliuar. oleo calcfacto, intermiscentur liquefactum Stannum aut Plumbum, cum aequali portione Bismuth. permixtum. MOENCH. *Lehre von Arzneymitteln*, p. 218. Noti quoque sunt alii, quibus Bismuthum

et Plumbum Mercurio additur. Amalgama, quod Bismuthum continet, fluidius et splendidius est, quam illud, ex solo plumbo param. *Taschenbuch 1783.* pag. 146. Distillatione detegitur hoc mangonium et ab eodem perfecte liberatur Mercurius; et si haec adhiberi non potest, cognoscitur Plumbum, si igni committitur, remanebit Metallum, Mercurio in auras abeunte, vel affundatur Acetum, quod dulcem accipit saporem. Sordibus quoque variis, rebus pinguibus et aliis adulteratur, a quibus facile liberatur, si per corium premitur, vel in mortario lapideo cum aqua, addito Aceto, vel Sale communii aliquamdiu, donec eius splendor redeat, conteritur. Summa globulorum mobilitas et figura globosa, eorumque splendor puritatis optimas constituit notas. Conf. HAGEN p. 630 sq. DOERFFVRT p. 554. et HILDEBRANDTI *Geschichte des Quecksilbers*, p. 452 sqq.

Moschus. Dubitat CRANZIVS Mat. med. I. p. 151 an semper genuinus adferatur, cum in China aequali argenti pondere vendatur, et ne extra regionem diuendatur, publica lege sit prohibitum. Attamen iam PLATEARIVS de simpl. Medic. cap. de Moscho notauit, ipsum ab Indis deprauari cum sanguine modice asso, ita ut 3 vel 4 partes vni Moschi parti admisceantur, fraude vix detegenda. Alii sanguini columbino Aromata addunt, mixtumque ad solem exsiccant, conterrunt, aquam moschatam rosaceam inspergunt et 3 vel 4 partes Moschi addunt. Vid. PORTAE Magia, Libr. II. cap. 21. Tradidit quoque SYLVIUS p. 279 Moschum, pelliculis incisis, puluere carnis columbinæ siccatae, sanguine haedino et pane asso adulterari, et addidit: si eius certum pondus, pelui madenti imponitur aliquamdiu et sit grauior, est legitimus, si pristinum pondus seruat, suppositius. Alii alios defraudationis modos notarunt. Seminibus Hibisci Abelmosch adulterari, refert MURRAY III. p. 377. Ex sanguine et carne ipsius animalis contritis et cum exigua veri Moschi portione remixitis,

factitium fieri CRANZIVS l. c. Ex Galban., Sagapen., Bitum. iudai-
co, et Opopanace paratum LEMERY Hil. Acad. Reg. Paris. 1700 et ex
Miscela olei Succini rectif. et Spir. nitri concentr. factam MARGGRAFF
vermischte Schriften, Tom. I. pag. 246 commemorarunt. Eiusmodi
Mangonia, in pulueris forma exhibita, cognoscimus, si laminae ferreae
calenti imponimus, tunc enim foetidus oritur odor, atque carbonis
species relinquitur; attamen genuinum quoque cineres relinquere, mo-
net HAGEN l. c. et addit: Admixtio sanguinis detegitur, trituratione
cum siccis Ciner. clauell., si enim tunc oritur odor volat, certe admix-
tus erit sanguis vel caro. In India alia instituuntur experimenta, in-
primis si adhuc folliculo inclusus est Moschus. Filum nempe laneum,
succo Allii imbutum, ope acus trahunt per folliculum, et si filum
non amplius Allium, sed Moschum redolet, pro genuino aestimatur.
Ipse etiam folliculus debet considerari, est enim in genuino, praet-
er externam, alia adhuc interna membrana, bruno colore tincta.
HAGEN p. 83. Conf. SANDE p. 211. SCHAVE. p. 63. BIEDER-
MANN p. 297. LINKII Diff. cit. p. 44 et DOERFFVRT p. 635.

Nicotiana. Vtriusque varia instituitur praeparatio; unicam hic
tantummodo notemus maxime nocivam, scil. Puluis eius cum Sac-
charo Saturni commisceatur, quo minori gradu nares irritet MOENCH.

Opium verum et genuinum raro, vel nunquam in exteris trans-
mittitur regiones et plerumque iam in Asia viliori specie adulterari,
monuit REINIGGIVS simulque vtriusque characteres exposuit. Ge-
nuinum non adeo durum est, et in vola manus detentum mollius euad-
dit, colorem refert ex bruno luteolum, et salvia tritum spumam
exhibit ex viridi-albidam, quae nauseosum odorem spirat; adultera-
tum durius est, colore magis nigricante, salvia tritum spumam con-
stituit saturate brunam, leviter odoratam. Sapor amarus utriusque est
proprius et hinc fallax signum. Vid. BLVMENBACHII Bibl. Vol. II.

p. 372. Liquiritiae succo adulteratum, facile detegitur. Opium purum madidum factum papyro illitum, lineam dilute brunam non sati cohaerentem, factum vero saturate brunam et firmiter cohaerentem lineam relinquit. HAGEN pag. 374. Parati etiam Opium variis alienis admixtis, immo ipso Stercore Vaccino legimus in LANGSTEDTH *Hindoostanischen Denkwürdigkeiten*, Nürnberg. 1799. p. 322.

Petroleum saepe cum oleo Terebinth. miscetur. Genuinum in Spir. vini non soluitur, odor quoque Terebinth. praesentiam ostendit. Si Oleum vitrioli cum Petrol. commiscetur, huius nec color mutatur, nec calor excitatur, hinc HANNEMANN ad explorationem miscelae Petrolei et Olei expressi, si scil. de absentia Ol. Terebinth. vel alius Olei aetherei certi sumus, suadet, ut addatur Ol. vitrioli et si Petroleum nigrum admittit colorem, pelluciditatem amittit et odor sulphureus se prodit, certo constat, adulterationem factam fuisse, per oleum expressum. Vid. HAGEN p. 594.

Piper album et *nigrum* unum eundemque fructum esse, illumque vel cuticula abrasa, vel miscela ex Amylo et Cerussa parata inuolutum, album colorem accipere, vulgo aestimatur. Vid. SANDE pag. 129. BLUMENBACH autem scripsit: *Bey des dünnket uns sehr unwahrscheinlich; wenigstens haben wir keinen solchen Zusatz an vielen Sorten weißen Pfeffers bemerket.* Vid. Bibl. Vol. II. p. 475.

Quassiae lignum in America cum alio, Rhus metopium dicto, commisceri retulit HAGEN pag. 331. Huius autem cortex nigricantibus resinosis particulis maculatus ligno firmiter adhaeret eiusque infusum cum solutione vitrioli martis nigrum admittit colorem, a qua solutio veri ligni non alteratur.

Rhabarbarum. Viliores species, in primis Vermibus erosa frusta, puluere croceo, forsitan Curcumae, obducuntur. Almanach 1784. pag. 202. Frictione cum digitis instituta fraus facile detegitur. Si vero fera-

foramina, a Vermibus facta, puluere Rhabarbari, cum mucilagine Tragacanthæ mixto, obturantur, frusta debent diffringi et interna verminosa indeles disquiri. SANDE pag. 5. Sic et aliae radices saepe vermbus exesae inueniuntur, quae vero non omnes reiicienda, potius illae, quae resinoso principio scatent, ut Lalappa, magis sunt aestimandæ. Vermes enim raro resinosum; sed modo gummosum deuorare solent, atque hinc etiam NEVMANNVS Chymie per KESLERVM, Vol. II. P. I. p. 111. Angelicae exesam radicem integræ præferre voluit; attamen in hac maxima virtutis pars certe deficiet, cum gummosum et resinosum ante sit coniunctum.

Saccharum. Huius singularem deprauationem ope Vitrioli martis obseruare voluit LIPPARD. Vid. Reichs-Anz. 1799. no. 26. p. 293, existimat autem SCHMIDTIVS, vid. TROMMSDORFII *Journal der Pharmacie*, Vol. VII. Part. I. p. 12. et DOERFFVRT p. 860 admixtum non Martis sed potius Zinci vitriolum fuisse.

Sanguis Draconis. Ex hoc cum ligno Brasil. aliisque materiali conficiuntur artificiales species, quarum aliae piceo odore se manifestant, aliae in igne crepitant, non veroflammam concipiunt. Genuinum flammarum facile accipit et ab aqua non soluitur. SCHLEGEL pag. 291.

Scammonium. Fraudes cum eo commissas recensuit MVRRAY I. pag. 495. Genuinum leue est et friabile, si cum humidis digitis fricatur luteum et in aqua solutum ex viridi lacteum colorem acquirit et parum admodum sedimenti relinquit; quo copiosius hoc est, eo magis cum Amylo, Arena aliisque est commixtum. Vid. BIEDERMANNI Diss. et Archiv p. 286.

Sperma Ceti saepe impurum est, aliis pinguibus rebus commixtum. Color albus praecipua bonitatis est nota, ideoque luteolum, rancido odore praeditum et Cera alba remixtum reiciendum. Alia vide apud SANDIVM p. 201 et DOERFFVRT l. c. p. 146.

Spigeliae marilandicae folia, *Saponariae* fol. similia sunt, et hinc inter se commisceri, notauit HAGEN p. 204.

Sulphur cum Arsenico et Tritici farina mixtum fuisse, legimus in SHERERI *Journal der Chemie*, Tom. III. art. 7. Conf. LIPPISCHES *Dispensatorium, deutsche Auflage*, Vol. I. p. 73.

Terra Catechu. Eius solutio spirituosa, cum aqua mixta, non debet opaca fieri, alias non genuina erit. Vid. *Salzb. Med. Zeit.* 1797. Vol. I. pag. 204.

T H E S S.

I.

*Sapor amarus ut symptoma in febribus non semper fortes
gastricas indicat.*

II.

*Ad propagandam per corpus sensibilitatem nervorum
nexus non postulatur.*

III.

*Sanguinis quantitatem, cordis atque vasorum conditio-
nem ex pulsu tantummodo cognoscere possumus.*

IV.

*Non penitus valet diuisio in partium solidarum et flu-
idarum morbos.*

V.

*Exstinctionem variolarum per sic dictam vaccinationem
fieri posse statuo.*

VI.

Medicamenta simplicia sunt praferenda compositis.

VII.

Medici est aegroti animum reddere serenum.

VIII.

*Vires organicae oriuntur a sola chemica partium organi-
cni corporis mixtione speciali.*

IX.

*Posthumus, post mariti obitum mense prognatus decimo
tercio, nequit ut legitimus partus agnosci.*

X.

*In exfruendis nosocomiis, orphanotropbeis et huiusmodi
aliis consilium medicum requiri debet.*

UB Wien



+AM505827207